

Admodum Reverende et Eruditissime Domine Decane. Accepi li-
teras tuas, et scriptum alligatum: literae spirant humilitatem,
scriptum redolet sapientiam non vulgarem: singula per se magna, sed
omnino simul maxima sunt: plerumque enim vel scientia inflat, vel
humilitas ruditus est. Ago ingentes gratias Deo primum, quod te ta-
lem dono suo fecerit, deinde etiam tibi, quod non solum mihi inno-
tescere, sed etiam scriptum meum protegere volueris. Perlegi lucu-
brationem tuam eadem, qua mihi allata est, die, et uno spiritu avi-
dissime totam perlegi. Miratus sum conspirationem ingenii tui in
eumdem omnino sensum animi mei. Neque dubito alios etiam conspira-
turos fuisse, si eodem candore animi, addo etiam eadem soliditate
doctrinae praediti scriptum meum legissent: saepe enim livor in
transversum homines agit, et saepe fit, ut qui gloriam aliunde
non possunt assequi, detrahendo viris, qui alicuius nominis esse
videntur, gloriam quaerant. Quod vero requiris à me, ut scriptum
tuum corrigam, idem est ac si requireres, ut ipse me corrigerem:
idem enim dicimus, idem sapimus; sed ego breviter, quod semper so-
leo, tu copiosius: ego simpliciter, tu multis testimoniorum et
rationum argumentis instructus ad scribendum accessisti. Vale, et
me, ut coepisti, amare perge; teque à me amari magnique fieri non
dubites. Capuae die 15 Ian. 1604.

R. D. T.

veluti frater addictissimus

Rob. Card. Bellarminus.

²⁵ F. B. 5, f.53. Minute autogr. Au bas: D. Stephanus Decanus Nan-
netensis. Fuligatti, Epp. famil. XXXIV, sans nom de destinataire.

Theses of IX 1488¹⁴